

17
18
2

2.7

32

36

38

39

39

4



27
7. April
1747

DE
FEVDO EMTO
SVB PACTO DE RETRO-
VENDENDO

INDVLTV
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO
SVMMIS IN
VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

AD DIEM APRIL. A. R. S. M DCC XXXVII.

DISSERET
OTTO DAVID HENRICVS BECMANN
DEVITIO-MEGAPOLITANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

1747

VIRI
ILLUSTRISSIMO
LEONARDO
SVE RACIO
OTTO NEBASTARI

DE
IN RECHT DER GEMALTE

VIRI
ILLUSTRISSIMO
VIRI
DOMINOR
ERNESTO FRIDERICO

RAVEN
OTTO
LECHMAN

OTTO



VIRO
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO
OTTONI BALTHASARI
à DEWIZ
CHILIARCHAE LOCVM TENENTI, DOMINO HERE-
DITARIO IN COLPIN &c.

ET
VIRO
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO
ERNESTO FRIDERICO
à RAVEN
DOMINO HEREDITARIO IN VILITZ &c.

OTTO DAVID HENRICVS BECHMAN.

NEC NON

VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ATQVE GENEROSISSIMO

DOMINO

DIETERICO

à LEVEZOW

COLLEGII REVERENTISSIMI CANONICORVM LVBECEN-
CENSIS COLLEGAE, DOMINO HEREDITARIO
IN PETERSDORF MANHAGEN &c.

DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS

PATRONIS AD CINERES VSQVE COLENDIS

CVM VOTO

PERPETVAE PROSPERITATIS

IN TESSERAM

ANIMI DEVOTISSIMI

PAGELLAS HASCE SACRAS ESSE IVBET

OTTO DAVID HENRICVS BECMANN.



CAP. I.

DE NATVRA PACTI DE RETRO-
VENDENDO.

§. I.



Si quis ius habet exigendi, vt alter *Emitio ven-*
aliquis rem suam ipsi tradat soluto *ditio quid?*
in pecunia numerata pretio, ipse
vero ad soluendam pretii loco pec-
uniam numeratam, *pretium vo-*
cant *eminens*, re tradita aequè ob-
ligatur, *emitio venditio* contracta dicitur; est igitur ea
contractus consensualis, quo vterque contrahentium
aeque obligatur alteri, alter quidem ad soluendum pre-
tium in pecunia numerata pro re oblata vel tradita, al-
ter vero ad rem tradendam pro oblato seu soluto dicto
pretio; prior contrahentium *emtor*, posterior *vendi-*
tor audit.

A 2

Ad

Adparet inde sibi constare sententiam ad emtionem venditionem consensum, rem & pretium concurrere debere, eiusque requisita substantialia esse adferentium. Cum vero a positis vno vel aliquibus characteribus necessariis communibus ad ponendam rem, cuius sunt characteres necessarii communes, non valida sit consecutio; haec vero emtionis venditionis tria requisita characteres modo absoluant communes, quod ex mox dicendis cuius vel paululum adtendenti erit manifestum: fallunt sane & egregie falluntur, qui, si in obuiio negotio consensum, rem & pretium sibi deprehendere visi sunt, ad ponendam emtionem venditionem praecipiti iudicio feruntur.

§. 2.

Pactum de vendendo definitur.

Vbi ita cum altero paciscimur, vt ipse perfecte teneatur rem nobis, si ita visum fuerit, pro determinato pretio soluto in pecunia numerata tradere: haec conventio est id, quod *pacti de vendendo* nomine insignire consueuimus.

Tribuit igitur tale pactum mihi ius exigendi rem pro pretio soluto, non vero obligat, vt inuitus rem pro pretio recipere debeam, adeoque mea vnus gratia inicitur, meumque solius commodum respicit. Inde pro adfina adgnoscat *pactum de emendo*, vi cuius alter obligatur, vt mihi rem offerenti determinatum in pecunia numerata pretium persoluat.

§. 3.

Notatur differentia pacis de vendendo inter emtionem venditionem.

Conlatis inter se definitionibus, differentia pacti de vendendo & emtionis venditionis nemini obscura esse potest; quam in eo potissimum consistere animaduertes, quod per pactum de vendendo saltim qui vendere rem promisit, obligatus sit ad expectandum, si forte

forte promissario placuerit rem pro pretio petere, non vero vrgeri queat, vt promissarius inuitus rem recipiat pretiumque soluat, quod secus se habet emtione venditione inita. Breuibus: *pactum hoc obligationem parit tantum unilateralem, cum ex emtione venditione, nemine contradicente, obligatio oriatur bilateralis.*

Adcedebat iure quiritium & haec insignis diuersitatis ratio, quod emtio venditio ad genus contractuum pertineret, cum pactum de vendendo intra nudi pacti terminos subsisteret. Sed mutata scena ob *c. i. X. de pact.* cuius tamen vim diuersitatemque a iure ciuili non sine specie in dubium vocat ZIEGLERVS *ad Inst. Lancellat. L. 3. tit. 3. §. 2. ad vocem: suam;* vel potius ob ius romanum quoad distinctionem pacta nuda inter & contractus apud germanos numquam receptum THOMAS *in notis ad eandem vocem p. 1376. sq.* Huic differentiae hodie parum vel nihil momenti tribuendum est. Hoc tamen non sicco praetereundum pede, misere alucinari, ne dicam turpes sese dare, qui pactum de vendendo mox cum tractatibus emtionis venditionis, mox cum emtione venditione conditionata ita conuenire statuunt, vix vt ouum sit ouo similis. Tractatum enim seu deliberationum mutuarum de conuentione ineunda ecquis non talpa coeciora pacto differentiam non videt? emtio vero venditio conditionata vtriusque contrahentis gratia est inita, vtrumque aequè obligat ad expectandam conditionis existentiam, eaque existente obligationem bilateralem ponit, quae omnia secus se habent in pacto de vendendo.

§. 4.

Si, qui per contractum fidem suam adstrinxere, *pactum ad-* obligationem inde oriundam per pactum quo modo *iectum quid?* cumque determinat: *pactum hoc vocari solet ad-* *actum.*

etum; & quum in contractibus adfectiones necessarias distinguere debeamus a contingentibus, & contingentes inter, prout vel modos constituunt ordinarios, vel non, insigne discrimen intercedat: e re visum fuit diuersas res diuersis quoque efferre signis, quae ita cuderunt ICTi, vt adfectiones necessarias *substantialia*, contingentes vero prout vel ad classem modorum ordinariorum pertinent, vel secus, priori casu *naturalia*, posteriori *adcidentalia* vocarint; pacta igitur adiecta prout vel circa *substantialia*, vel *naturalia*, vel *adcidentalia* quidquam determinant, in multiplici sunt differentia.

Vsitatissimas pactorum adiectorum denominationes ad genera & species reductas per lancem saturam exhibere non alienum videtur. Synthetice eas determinatas sic mihi concipio: si pacta adiecta legibus non repugnant, vel nouum superaddunt negotium saluo priori, vel non; si prius; dicuntur *alterantia*, exemplum videlicet in l. 24. ff. *depos.* si posterius; vel adfectiones ordinarias contractus confirmant, vel non; illo casu vocantur *confirmantia*; hoc vero concernunt vel *substantialia*, vel non; si illud; vel omnino tollunt vnum alterumue *substantiale*, quo casu reuera sublato negotio principali aliud palliatum geritur, & prout hoc vel validum est vel inualidum, adpellantur *transformantia*, vel *deformantia* seu *deformatiua*, exemplum vid. l. 24. ff. *pro soc.* vel aliquod *substantiale* non quidem tollunt, sed aliter determinant, quam fuit determinatum, quo casu idem contractus specie non numero manet, & dicuntur *reformantia*. Si pacta adiecta *substantialia* non concernunt, obligationem ordinariam vel augent vel minuunt. Illa *adiicientia*, haec *detrahentia* salutantur, LAUTERB. §. 93. de *contrah. emt. vend. C. T. P.*

§. 5.

Si quis alteri rem suam vendit, & obligationem *Pacti de re-*
 hoc ex negotio oriundam per pactum sic determinat, *reouendendo*
 vt emtor teneatur rem emtam reuendere, si forte sibi *notio.*
 placuerit pretium determinatum in pecunia numerata re-
 fundere: pactum hoc adiectum contractui emtionis ven-
 ditionis aiunt *pactum de retrouendendo*; vnde manife-
 stum fit, venditionem sub pacto de retrouendendo cele-
 bratam esse venditionem, cui adcessit pactum de venden-
 do rem venditam; ex quo porro fluit id solum vergere
 in commodum venditoris, qui inde ius habet redimendi
 rem venditam, si libuerit, non vero emtoris, adeoque
 ipsum venditorem inuitum ad redimendum compellere
 non posse.

Adfine huic pacto est *pactum de retroemendo*, seu
redimendo, vi cuius primus venditor obligatus est pri-
 mo emtori restituere rem volenti soluere determinatum
 pretium; quod vergit in commodum emtoris, neque
 eum obligat inuitum pretium adcipere & rem reddere,
 Hoc praeterea non possum quin moneam, me destinato
 consilio, nec, ni me omnia fallunt, sine ratione ad pactum
 de vendendo in genere, & in specie ad pactum de retrouen-
 dendo requirere, vt pretium rei vendendae in illo fit de-
 terminatum. Cum enim expediti iuris sit, nullam esse em-
 tionem venditionem, si pretium sit incertum §. 1. *I. de*
emt. vend. l. 35. §. 1. ff. de contrab. emt. quod etiam fere
 vnanimis Doëtorum calculus probat, TVLDEN. in *C. de*
emt. n. 2. GAIL. L. 2. Obs. 33. MYNSING. C. 4. obs. 47. ne-
 que valere, si conuenerit inter partes, vt res iusto pretio
 debeatur esse vendita, quum res arbitrio incertae personae
 relicta videatur *l. fin. C. de contrab. emt.* nemo sane, opi-
 nor, qui rem adcurata mentis lance trutinauerit, tam ini-
 quus rerum aestimator erit, quin pedibus in meam eat
 senten-

sententiam adgnita idemitate rationis dispositionis legum. Quo facto sponte sua conruit quaestio multis Doctorum inuoluta tricus, quo modo determinari debeat pretium casu retroenditionis existente, vbi in antecessum inter partes de pretio refundendo nihil conuenerit.

§. 6.

*Initur diuer-
sa ratione.*

Si qui sub pacto de retrouendendo emerunt vendiderunt; vel simul determinarunt, quid circa tempus retroenditionis instituendae sit obseruandum, vel non; & si prius; tempus certum constituerunt vel tamquam terminum a quo, vel tamquam terminum ad quem. Si igitur verum est, quod vulgo adseritur, pacta dare legem contractui; non est dubitandum, quin, si nihil quoad tempus retroenditionis est determinatum, ius retroemendi primo venditori competat *quandocumque liberit* (*über kurz oder lang*). Si vero tempus determinatum est tamquam terminus a quo; hoc ius ipsi competit *ex die dicto*, e. g. nach 20. Jahren, & tandem si tempus adiectum est tamquam terminus ad quem; *in diem* e. g. binnen 20. Jahren.

Ad determinaciones haecce temporis in primis respiciendum docent iuris interpretes, vbi quaestio incidit, quo vsque facultas redimendi venditori salua sit? nec, si quid iudico, male. Interea tamen quoad decisionem quaestionis ipsam mirum in modum dissentiunt. In eo quidem, quod adhuc scio, omnes conteniunt, si tempus adiectum sit pro termino ad quem; ius retroemendi saltem expirare post elapsum penitus terminum. Sed vbi nulla temporis facta mentio; sunt, qui hoc ius nulli praescriptioni obnoxium esse adserunt, tamquam rem merae facultatis; sunt, qui praescriptionem tricennem admittendam esse statuunt; sunt denique, qui distinctione rem conficiendam

dam putant, vtrum simpliciter nulla temporis sit facta mentio, an adiecta clausula, quodcumque libuerit, vel aequipollens, ita vt priori calu tricennale temporis lapsus ius venditoris extinguere ceſteant, non vero posteriori. Atque idem ſententiarum diuortium intueri licet, ſi tempus adiectum ſit pro termino ex quo, & quaeratur, quo vsque, poſt elapſum hunc terminum, locus ſit iuri retroemendi? Quas ſi ad lapidem lydium exigere, & ex principiis genuinis totam decidere quaestionem animus eſſet; aqua mihi poſcenda foret multarum horarum, neque hae plagulae huic diſquiſitioni ſufficerent. Interea tamen, quid circa eam ſentiam, breuibus exponere nil vetat; nimirum ſi nullum tempus huic iuri retroemendi praſcriptum illud expirare indiſtincte triginta annis poſt traditionem rei venditae abſolutis. Si terminus adiectus ſit a quo; illud poſt exiſtentiam termini triginta annorum decurſu extingui; ſi tandem terminus ad quem diſtus fuerit; vel exiſtentia termini vel lapſu triginta annorum idem amitti prout terminus vel ſpatium temporis complectitur 30. annis minus, vel non. Fundat ſe haec deſiſio in generali, quam animo concepti & data occasione elaborare conſtitui, theoria de praſcriptione tam in genere, quam in ſpecie iuris agendi, in primis vero ſequentibus regulis innititur, quod 1) omnis actio, ex quo fuit nata, h. e. cum effectu in iudicium deduci potuit, obnoxia ſit praſcriptioni temporis ſaltem longiſſimi; 2) quod fieri nequeat, vt terminus praſcriptionis lege definitus priuatis partium paſſionibus prorogetur. Neque me mouet in contrarium l. 31. ff. §. 22. de aedil. edict. vbi Vlpianus: *valere, ait, conuentionem, vt in perpetuum valeat redhibito*, qua freri plerique contrarium adſerunt, rati ICrum citata lege permittere prorogationem termini in actioe redhibitoria alias obſeruandi. Quum enim expreſſam de redhibenda re emta ſi viſum fuerit in perpetuum conuentionem deſideret: nemini obſcurum eſſe

B

potest,

potest, ipsum supponere pactum adiectum contractui emtionis venditionis, quod ipsi contractui inest, adeoque actionem emti perpetuam, h. e. tricennalem producit, neque adeo ipsius mentem subisse cogitationem de prorogando termino actionis redhibitoriae. Neque maioris, me arbitro, roboris est obiectio, quae defumitur a conditione rerum merae facultatis, quibus & hoc ius retroemendi ad censere dubitant nulli. Ut enim non virgæam genuino rerum merae facultatis conceptu destitui contententes, in quo eruendo & viri ingenii haud vulgaris GROTII acumen merito desideratur; nego potius & pernego ius redimendi rerum merae facultatis in numero iure conlocari; quarum nomine mihi veniunt iura, quatenus indiuiso nexu cohaerent iuribus actu quaesitis. Exempli loco fit ius oppignorandi rem iure dominii mihi competentem, ius alienandi eam, seruitutem in ipsa constituentem, & quae sunt reliqua.

§. 7.

*Obligat ad
restituendam
rem vendi-
tam.*

Si quis ad dandum obligatus est, & rem tradendam actu possidet; abscisse eam reddere debere, neque offerendo id quod interest ab obligatione sese liberare posse, tam rationi & legibus est consentaneum, quam ICTORUM cordatorum calculo, quod equidem scio, vnanimi probatum. Iam qui rem quamdam emit sub lege retrouentionis, ad rem, quam emit, casu existente reddendam pro determinato pretio sese obstrinxit. Prono igitur inde aluco fluit, eundem, *si rem tradendam actu possidet, eam abscisse reddere debere.*

Si vero contigerit, ut eam non amplius possideat; eam vel casu amisit, vel non, & utroque casu vel ad eam repetendam actio ipsi competit, vel non. Si actio ipsi competit; ea ad rem repetendam experiri tenetur; sin se-

cus

cus & res casu perierit, ab obligatione tamquam debitor speciei liberatur; si vero amissio rei sine casu contigerit; ad praestandum interesse manet obligatus. Est igitur haec obligatio ad praestandum interesse saltem subsidiaria, vtpote quae locum habet, si forte alii obligationi, principalem aiunt, explendae non sumus. Neque confundenda cum obligatione alternatiua, quae obtinet, vbi quis ad A vel B. est obligatus determinandum pro re nata ex arbitrio vel creditoris vel debitoris, vnde in obligationem alternatiuam in fauorem creditoris vel debitoris venit dispescenda; quae diuisio licet vulgo neglecta, vsum praestat insignem in multis iuris controuerfis solide componendis. E. g. vtrum poena conuentionali soluta ipsum adhuc pe- ti queat debitum; quod heic monuisse sufficiat.

§. 8.

Qui pactum de vendendo celebravit, ius habet *Quam reci-* postulandi, vt alter sibi rem vendat. Si igitur hoc ius *pere tenetur* suum exercet, inque actum deducit; rem ipsam emit, *primus ven-* ideoque emtor rei euadit. Quare quum emtor rem *ditor in sta-* emtam adcipere teneatur pro soluto pretio conuento in *tu quo.* statu, quo est tempore venditionis: non dubitandum est, illum, qui ex pacto de vendendo sibi rem comparat, ad idem teneri. Tam vero pactum de retrouendendo est species pacti de vendendo. Hinc, si, qui rem sub pacto de retrouendendo vendiderat, redimit; *rem ad-* *cipere tenetur in eo statu, quo est tempore retrouendi-* *tionis pro determinato pretio soluto.*

Quum vero facile contingere queat, vt tempore retro- uenditionis pretium rei auctum fuerit insigniter, vel immi- nutum respectu habito ad tempus primae emtionis vendi- tionis: notandum ad corrigendam hanc inaequalitatem remedia ordinaria emtoribus venditoribus legibus conces-

sa & heic locum non immerito sibi vindicare. Vnde si pretium rei eo, quo ipsam primus emtor tenuit, tempore auctum fuerit; praeter determinatum pretium nihil recipit venditor, nisi si ultra dimidium se laesum esse docere queat; si vero imminutum; hoc addidit vel culpa primi emtoris, vel non; & vtroque casu hanc pretii imminutionem redimens vel ante redemptionem perspectam habuit, vel non. Si eam sciuit adesse ante redemptionem, culpaue primi emtoris contigisse certum est: statim pretii determinati remissionem proportionatam virgere potest; non vero si sine eius culpa casu contigerit. Si vero post redemptionem demum in eius notitiam peruenerit; pro renata vel actione redhibitoria, vel aestimatoria seu quanti minoris, vel actione emti laesio est purganda.

§. 9.

*Conditio
suspensiuua
resolutiuua
quid?*

Si ab eo, quod tamquam euentus aliquis incertus spectatur, existentiae iuris & obligationis determinatio quaedam dependet; *conditio* iuri & obligationi cohaerere dicitur. Determinatio illa vel potest esse existendi initium vel finis. Priori casu *suspensiuua*, posteriori *resolutiuua* dicitur. Si existit conditio resolutiuua; ius & obligatio existere definit; quod dicunt ius & obligationem resolui. Id quod iterum duplici ratione contingere potest; vel ita vt omnia in eum statum reducantur, ac si numquam adfuisset, vel non. Hoc casu resoluitur *ex nunc*, illo vero *ex tunc*.

Definitiones datas ad exempla adcommo-
dare vix opus puto, quum sint notissima. Hoc tamen non possum, quin moneam, definitionem meam conditionis in genere ita esse comparatam, vt magis determinando ea, quae adhuc indeterminata linquit, omnes species pulcherrima synthesi inde eruere liceat; id quod facere potest pro examine

ne definitionis exactae. Vtrum id aequè felici successu praestare queant, qui eam euentum incertum a quo negotium suspenditur esse aiunt, facile perspiciet, qui inde notiones conditionis possibilis, suspensivae & resolutivae a priori formare adgressus fuerit.

§. 10.

Pactum de retrouendendo contractui adiectum *Pactum de non impedit translationem domini rei venditae.* Per *retrouendendo non impedit domini translationem.* pactum enim hoc primus emtor sese obligat venditori volenti rem venditam iterum vendere, adeoque ex intentione contrahentium dominium rei venditae in ipsum volentem facta traditione rursus transferre. Nemo vero potest plus iuris in alterum transferre, quam quidem ipse habet. Ergo ex mente contrahentium ipsi competere debet dominium, adeoque tantum abest, ut hoc pacto translatio domini rei venditae impedita dici queat, ut potius eandem suo modo supponere sit adferendum.

Dum adfero pactum de retrouendendo non impedire translationem domini, egregie falleretur, qui inde concludere vellet, pactum de retrouendendo requirere necessario, ut res vendita fuerit venditoris propria, non aliena. Soli enim contractus dominium translaticiui, qui substantiam capiebant a rei traditione ad validitatem suam requirunt, ut res propria sit dantis, l. 2. §. 2. ff. de R. C. l. 1. §. 3. ff. de ver. perm. reliqui vero contractus super re aliena iniuri sine praeiudicio veri domini tot. tit. C. de reb. alien. non alien. validi sunt & actionem producant, quorum pertinet emptio venditio, l. 3. C. de evict. Neque hanc eius naturam pacto de retrouendendo immutari, vlla solida ratione doceri potest. Atque inde concipi potest, non re-pugnare, ut reuenditor in reuenditorem transferat dominium,

quod ipse non ab hoc adceperat. Si enim tu bona fide & iusto titulo rem alienam vsucapioni obnoxiam possidens vendidisti sub lege retrovenditionis alteri ignoranti; hic per vsucapionem completam dominium traditione ex retrovenditione secuta in te transfert, cum tu ipsum saltem in conditione vsucapiendi constitueris.

§. II.

*Nec est con-
ditio suspen-
sua.*

Cum igitur hoc pactum translationem dominii non impediatur, adeoque non obstante eo emtor dominium in re vendita tradita consequi possit; sequitur, vt *idem non inuoluet conditionem suspensiuam respectu contractus, cui adcessit & iuris inde transferendi.*

Conditionis nimirum suspensivae ea est indoles, vt antea quam de eius existentia simus certi, de validitate negotii, cui adcessit, nihil determinati adfirmare possumus. Adcidit hoc emtioni venditioni sub lege addictionis in diem celebratae, si inter contrahentes conuenierit v. c. vt si nemo intra annum meliorem conditionem adtulerit, fundus Cornelianus centum sit emtus. Tum licet secuta sit traditio; nondum contractus est validus, neque dominium in emtorem a venditore transit.

§. 12.

*Vnde emtor
actus domi-
nii exerce-
re non pro-
hibetur.*

Quae quum ita sint; non est dubitandum, iure optimo niti adsertionem eorum, qui *emtorem sub pacto de retrovendendo in re ea lege vendita & tradita actus dominii exercere posse statuerunt*, e. g. alienationem, constitutionem seruitutis, pignoris, caetera.

Dissentiant haec pro more ICti, & sunt, qui, emtori sub pacto de retrovendendo quum mox ius vsufructuarii, mox mariti in fundo dotali adcommoant, quos inter est BERLICH. p. 2. Concl. 2. n. 57. 63. actus dominii irre-

irrestricti & exercitium constantissime denegant, sine tamen solido fundamento, quorum argumentis recensendis & obiectionibus diluendis, quum iam ex ante dictis sponte corruant, non est, quod immoremur, praesertim quum otium hac in re nobis fecerit STRYK. *V. M. de Contrab. emt. vendit. §. 56. seq.*

§. 13.

Si qui rem sub retrouenditionis lege emit, alie- Venditor a-
nare intendit; alienationi potest intercedere, eamque lienationem
impedire venditor; Si vero iam actu est alienata, factam impedit, fa-
alienationem non reuocat. Pactam enim de retrouen- *Eam vero*
dendo rem tribuit venditori ius ad rem perfectum re- *non reuocat.*
spectu emtoris hincque adeo perfecte obligatus est, vt
rem venditori ex pacto redempturo restituat; quam ob
rem qui per alienationem hanc restituendi facultatem
sibi adimit, contra obligationem perfectam agit; quum
vero ea sit obligationis perfectae conditio, vt qui ea
obstrictus est, cogi queat, ne contra illam agat; & em-
tor primus a primo venditore sub hypothesi data vt de-
fistat ab intenta alienatione compelli potest; quo ipso
alienationi venditorem intercedere oppido patet.

Si vero res iam actu ad alium possessorem tran-
sistit; venditor eam reuocaturus a possessore vel actione
reali vel personali contra possidentem experiri deberet.
Non vero experiri potest actione reali ex iure in re de-
scendente, quod ipsi ex pacto de retrouendendo non
competit; nec actione personali ex iure ad rem familiam
ducente, quia cum possessore rei tertio ex titulo singu-
lari pactum de retrouendendo non percussit. Quum igitur
nulla ipsi hoc casu ad recuperandam rem a possessore
titulo singulari nixo detur actio; ratio in aprico est, cur
illum rem alienatam reuocare non posse adferendum sit.

Quoad

Quoad membrum vltimum dissentientes habeo in totum eos, qui emtori sub pacto de retrouendendo omne omnino dominium denegant, saltem dominium iuri mariti in dotali fundo aemulum tribuunt. Quum vero horum erroneam hypothesin iam antea notauerimus; parum quoque curamus conclusionem huic inaedificatam. In tantum vero scilicet ratione tertii rem, quam retrouenditionis legi obnoxiam nouit sibi comparantis, in omnia alia abeunt, qui actionem personalem concedunt contra tertium, si fuerit in mala fide, h. e. alii ius quoddam circa rem competere non ignorauerit. Quum vero fundamentum sententiae suae quaerant in *c. 6. X. de pign.* vbi Pontifex indefinite saltem actionem contra tertium alienati pignoris possessorem indulget, quo vero actionis genere sit experiendum non determinat, vt adeo dubio procul illa sit adicienda, qua ex iuris ratione contra tertium pignoris possessorem agi potest, e. g. rei vindicatio, quod optime notauit Per-illustris Ducatus Magdeburgici Cancellarius BOEHMERVS, ICtorum nostri aeuu princeps, quem Praeceptorem deuota mente veneror, in aureo tractatu *de action.* S. 2. C. 8. §. 23, & responso incluti, qui heic loci floret, ICtorum ordinis firmavit in *I. E. Part. I. de Conflit.* §. 72. per se intelligitur, non adeo firmo talo horum insistere sententiam. Et sane simus liberales, demus nimirum contra sententibus, quod dare nulla nos ratio vrget, citato capitulo pontificem contra iuris analogiam concessisse actionem pignoratitiam contra tertium m. f. possessorem: quotus erit quisque, qui ideo hanc constitutionem pontificis exorbitantem ad casus similes proferre auit, nisi immemor disterii, quae contra rationem iuris eiusdemque sanctam analogiam sunt inuestigata strictissimae esse interpretationis.

§. 14.

Pactum de retrouendendo adcedit contractui *actiones ex*
 emtionis venditionis vel in continenti, vel non. *Si pacto de re-*
 hoc; vel in ipsa traditione, vel non; & hoc demum casu *trovenden-*
 vel ante traditionem tempore ipsum inter & contractum *do oriundae.*
 intermedio, vel post eam. Si adcessit in continenti;
 pactum hoc adiectum ipsi contractui inesse intelligitur,
 adeoque *producit actionem venditi*; si in ipsa traditione
 degenerat in contractum innominatum do vt des, red-
 das scilicet, vbi mihi libuerit restituere conuentione de-
 terminatum pretium; hincque *agendum erat prae-*
scriptis verbis seu in factum actione l. 2. C. de Pact. in-
 ter emt. & vend. BRVNNEMAN. ad dict. l. n. 2. Si
 vero tempore intermedio vel etiam post eam; intra ter-
 minos pacti nudi iure romano subsistebat, neque adeo
 vllam actionem producebat; quod hodie secus, quum
conditionem ex moribus ex omni pacto moraliter possi-
 bili seu a legibus non reprobato praxis concedat.

Quum in dubio non tantum nobis, sed etiam heredi-
 bus prospexisse videamur, l. 9. ff. de probat. l. 13. C. de con-
 trab. stip. idem quoque dicendum, de pacto de retrouen-
 dendo. Dantur igitur dictae actiones, ni expresse ali-
 ter conuentum, non tantum primo venditori, sed etiam
 eiusdem heredibus. Quid vero si plures sint heredes vel
 venditores & vnus velit redimere? Fufe hanc quaestionem
 tractat CARPZOV. P. 2. consil. 1. def. 11. Tota vero res
 huc redit, vt statuamus heredem vnum vel venditorem
 non posse pro parte rem redimere vno pretio venditam;
 si vero totam rem velit redimere & caueat reëmens de par-
 te congrua coheredi vel socio reuendenda; audiendus vti-
 que erit. STRYK. V. M. de contr. emt. vend. §. 51. Neque
 minus institui potest contra heredes, licet sint minores,

C

qui

qui hoc casu non opus habent decreto iudicis super alienationem alias interponendo, quum haec alienatio sit necessaria l. 1. C. quando decreto opus non est. Id vero agenti omnino incumbit, antea pretium conuentum offerre, ne ex sua parte conditioni minus satisfecisse videatur, adeoque exceptionem implementi nondum secuti timere habeat, quae alias ipsi obstat, & adeo singularis est, vt eam in ipsa executione, quod non arguit iniquitatem sententiae, neque tendit ad eius rescissionem, sed pariturum sententiae innuit condemnatum, modo ipsi vicissim fiat quod aequum est, opponi posse, & suppleri a iudice ex officio statuat iuxta alios FRANZK. Dig. de act. emt. vend. n. 16. 18.

§. 15.

*Locum facit
hoc pactum
nouae emtio-
ni venditio-
ni.*

Si primus venditor, qui ius redimendi habet ex pacto de retrouendendo, sufficienter declarat, se hoc suo iure iam vti velle, atque primus emtor obligationi suae satisfacere non detrectat; noua celebratur emtio venditio. Si enim primus venditor sufficienter declarat, se suo iure redimendi vti velle; promittit, se alteri pretium redditurum determinatum pro re restituenda, & si primus emtor obligationi suae satisfacere non detrectat; se adceptare promissum primi venditoris. Quo ipso manifestum est, nouam oriri conuentionem, vi cuius primus venditor aequae perfecte obligatur pretium refundere, ac primus emtor illo adcepto rem tradere. Eiusmodi conuentio sistit notionem emtionis venditionis. Ergo noua celebratur emtio venditio sub data hypothesi.

Ex principio hoc commate proposito ad multas quaestiones occasione huius pacti in medium prolata commoda deduci potest responsio. Sic controuertunt inter se docto-

Doctores & ambigunt, vtrum postquam res ex pacto de retrouendendo ad priorem venditorem rediit, soluenda sit pro re nata gabella, laudemium, caetera. Nobis adfirmatiua tuenda, quum reuera noua celebrata sit emtio venditio, quae facit, vt locus sit iuri exigendi gabellam, & si qua sunt reliqua. Neque contrarium insinuat argumentum, quo vulgo vti solent dissentientes, nimirum consensisse iam in antecessum dominum, qui rem sub pacto de retrouendendo alienari permisit in nouam venditionem, vt adeo pro consensu eius impetrando nouum laudemium solui non debeat. Vt enim non vrgeam, dubiam valde & minus adaequatam videri rationem laudemii, si pro consensu saltim impetrando solui illud dicas; hoc tamen quilibet fateri debet, consensum domini in emtionem venditionem sub pacto de retrouendendo ita esse intelligendum, vt interpositus sit saluo iure sibi tempore alienationis competente, quum nemo in dubio suum iactare & esse liberalis praesumi queat. Quare quum noua alienatio nouum quoque ius exigendi laudemium tribuat; tantum abest, vt per interpositum consensum huic iuri suo dominus renunciaffe videatur, vt potius illud factum sibi tectumque reseruasse sit praesumendus. Neque minus inde petenda responsio ad quaestionem iterum iterumque agitatam, vtrum verbis directis an obliquis iniuri debeat hocce de retrouendendo pactum? Sunt vero *verba directa* in hac quaestione, quae disponunt rem venditam ipso iure in primi venditoris dominium reuerti, nullo interueniente facto primi emtoris, *verba vero obliqua* dicuntur, quae ad id effectum dandum requirunt factum aliquod ex parte primi emtoris adcedens. Quibus positis, non obscura erit ratio, cur verba directa heic exulare debere statuamus. Quum enim hoc pacto obligatus sit primus emtor ad nouam venditionem, eaque demum secuta per traditionem transferat dominium; patet ex natura huius pacti & essentia ad transferendam de no-

uo dominium abscisse requirit factum adcedens ex parte primi emtoris adeoque ipsam tantum admittere verba obliqua. At enim sic, inquires, nullius momenti erit pactum: si intra decem annos idem pretium obtulero; fundus esto inemptus. Sed fallaciam committis, quam ignorationem elenchi vocant logices studiosi. Non enim improbo hoc pactum, saltem pactum de retrouendendo idem esse nego. Quod quidem ne temere dixisse tibi videar; attendas, velim, ad differentiam, quae pactum inter de *retrouendendo*, & *recipiendo ipso iure dominio* intercedit, non contemnendam, licet vulgo neglectam. Adeam penitus breuiter tamen simpliciterque introspiciendam mente tibi concipe Caium nescio quem improvisa pecuniae indigentia eo adigi, vt domum auitam Titio vendat. Quum tamen lautiozem fortunam speret; non omnem deponit spem recuperandi aliquando lares auitos, adeoque ne venditio facta ipsi sit impedimento, medium quoddam anquirat, quous recuperandi, vbi placuerit, rem alienatam ipsi factum tectumque maneat. Duplex hoc casu ipsi sese offert; vel enim domum tradit & vendit ea lege, vt dominium eius transferat, vsque dum determinatum pretium refuderit, vel domum vendit, dominiumque traditione transfert simpliciter, emtorem tamen pacto sibi obligat ad rem si visum fuerit pro determinato pretio restituendam. Priori casu emtioni venditioni pactum de recipiendo ipso iure dominio, posteriori de retrouendendo adcessisse dicendum erit. Illud verba requirit directa, hoc vero obliqua: quamuis non diffitear ante omnia haec respiciendum esse ad mentem contrahentium *l. 219. ff. de V. S.* cum non intentio verbis, sed verba intentioni merito deseruiant.

§. 15. X. cod.

§. 16.

Pactum de retrouendendo dici non potest conditio resolutiua ratione contractus emtionis venditionis, dicitur resolutiua cui est adiectum. Sit enim, si fieri potest, conditio resolutiua contractus; non dubium est, quin, ubi ius ex eo competens in actum deducitur, existere desinat contractus emtionis venditionis. Quod quum alio modo fieri nequeat, quam fingendo, eam numquam fuisse celebratum: perinde haberi debet, ac si numquam fuisset initus. Si vero numquam fuisset initus; neque noua venditione recipere potuisset rem venditam primus venditor. Ergo iure inde competente in actum deducto non noua fieri potest emtio venditio; quod quum aduersetur demonstratis; patet, falsum esse, pactum de retrouendendo inuolucere conditionem resolutiuam respectu contractus emtionis venditionis cui adcessit.

Si qui erunt scrupulosiores, haerebunt fortasse circa demonstrationem, contententes ea id saltem euinci, pactum de retrouendendo minus recte salutari posse conditionem, quae emtionem venditionem, cuius est adcessorium, resoluat ex tunc. Quum vero conditio resolutiua etiam ex nunc negotium aliquod resoluere possit; a negatione vnius speciei ad negationem generis argumentum ipsis videbor duxisse. Sed salua res est. Contractus enim vel praestationem ponunt continuam, vel saltem momentaneam. Posterioris generis qui sunt; conditionem resolutiuam ex nunc per se non admittunt. Quare quum emtio venditio eorum numero sit adseribenda; conditio quae ipsi adcessit resolutiua semper ex tunc fit necesse est. Vnde qui demonstrauit in dato casu non adesse resolutionem emtionis venditionis ex tunc; eo ipso quoque nullam omnino admittendam esse conditionem resolu-

resolutivam valide demonstratum dedit; neque a negata specie simpliciter ad negandum genus, sed potius a negata specie in dato casu vnice possibili ad negandum genus argumentum nexuit, quod fieri valide posse nemo in dubium vocabit.

CAP. II.
DE CONDITIONE FEVDI SVB LE-
GE RETROVENDITIONIS
EMTI.

§. 17.

*Disponere
quid sit?*

Qui de re quid fieri velit pro suo arbitrio efficienter statuit, de ea *disponere* dicitur.

Sic HOMERVS iouem adserit

- - - ἀνθρώπων ταμίαν πολέυ μοι τεύχθαι
seu. disponere de bellis hominum, quod idem
- - - ἀρετήν ἀνδρείαν ἀφέλει τε μινύθει τε
ὠππῶς κεν ἐδέλησιν

Virtutem viris auget, minuitque prout voluerit, h. e. quod pro suo arbitrio efficienter eum de bello quid fieri velit statuere sibi persuasum habet. Vnde pater, duo requirit, vt quis disposuisse de re dicendus veniat. Primo, vt voluntatem quid de re fieri velit declarauerit; secundo vt haec voluntatis declaratio non in nudis declarationis terminis subsisterit, sed effectum sortita sit ex intentione eius, cui dispositionem tribuimus. Vtrumque definitio sic exprimit adeoque mihi non potuit non sese commendare prae vulgari illa, quae dispositionem ait voluntatis declarationem, quid fieri vel non fieri quis velit. Secundum eam vereor vtique, ne aliquis adversarius de corio

corio vrsi nondum capti diuidendo inter se pacifcentibus me tribuere arguetur dispositionem, immo ipsum corii dominium.

§. 18.

Si quis de re disponit; vel disponit de ipsa rei *Dominii* substantia, vel de eius solummodo consecrariis; & vtra-
que casu vel ius disponendi proprium habet, vel non. *notio.*
Qui habet ius proprium disponendi de ipsa rei substantia dicitur *Dominus*, & *dominium* ita est ipsum ius proprium disponendi de rei substantia.

Si ad taxandum alios, quam ad dandum meliora esse procliuior, amplum mihi apertum campum ingrederer excurrendi in censuram plurimarum de dominio huc vsque supeditatarum definitionum. Sed hoc iam non ago. Id saltem moneo, me non temere ad dominium requirere, vt sit ius proprium non vero ius quodcumque disponendi de rei substantia; alias enim & in ipso communionis primaevae statu dominium adgnosendum esset, vbi etiam necessitate & vsu exigente quisque de rei substantia ius disponendi habet, quod tamen adserere nouum esset & inusitatum. Neque minus ius vtendi fruendi pro charactere dominii necessario adeoque definitioni inferendo non habeo. Qui secus sentiunt, videant, quo pacto constituto vsu fructu proprietario dominium saluum tribuere queant; quod tamen ex omnium consensu ipsi saluum esse debet.

§. 19.

Dominium est ius proprium disponendi de rei *Species do-* substantia. Hoc ius vel vni competit, vel pluribus. Si *mini exot-* prius dominium vocare licet *solitarium*; si posterius; vel *uuntur.* pluribus competit eodem modo, vel diuersa ratione; priore

priori casu *condominium* vocatur ius cuiusque; posteriori *dominium minus plenum*. Atque tum vel habet ius vtendi fruendi sibi iunctum vel non. Si hoc; *directi*, sin illud; *vtilis* domini ideam nobis sistit. *Dominium* quod cumque *plenum* audit, si minus plenum non est. Si quis habet *dominium plenum* dicitur *dominus plenus*, si minus plenum; adpellatur *dominus minus plenus*; in specie *directus*, si *dominium* ipsius minus plenum est *directum*, *vtilis*, si quod ipsi competit *dominium* est *utile*.

Terminis domini pleni & minus pleni, *directi* & *vtilis* in eo significato, quem in arte nostra adceperunt fixum, vt nihil dubitauimus, sit ita, quod vetus latium & ipsi iuris auctores eosdem ignorauerint. Neque cuidam offendiculo esse debent definitiones negatiuae hinc inde a nobis vsitatae; vulgarem enim logicorum regulam; definitionem non esse debere negatiuam, minus sibi constare, nisi ita adcipiatur, vt terminos saltim infinitos definitione exulare iubeat, adeoque definitionem conceptum rei non infinitum nobis sistere praecipiat, iam dudum monuerunt, qui determinate cogitata sua didicerunt exprimere.

§. 20.

Inde eruitur
feudi notio.

Fidelitas denotat studium alterius incommoda amouendi. Quam vbi praestanti nobis praestamus; mutuum nominare conuenit. Iam si vnus eiusdemque rei *dominium* ita inter plures diuisum cogitamus, vt *dominium* eius *directum* competat alii, alii vero *utile* sub lege mutuae fidelitatis: inde notio *feudi* exsurgit, quod est *dominium* *utile* sub lege mutuae fidelitatis *dominorum* minus plenorum quorum alter, qui gaudet *dominio*

minio directo, feudi *dominus* audit: alter, cuius est dominium vile *vasalli* venit nomine.

De requisitis fidelitatis feudalis haec leguntur II. F. 6. *Qui domino suo fidelitatem iurat, ista sex in memoria semper habere debet, incolome, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Incolome, ne sit in damno domino suo de corpore; tutum ne sit ei in damno de secreto suo vel munitionibus suis, per quas tutus esse potest; honestum, ne sit ei in damno de sua iustitia, vel de aliis causis, quae ad honestatem eius pertinere videntur; utile, ne sit ei in damno de suis possessionibus; facile & possibile, ne id bonum, quod dominus suus facere leuiter poterat, faciat ei difficile, neue id quod possibile ei erat, faciat impossibile. Ut fidelis haec caueat documenta iustum est. Sed quia non sufficit abstinere a malo, nisi fiat, quod bonum est; restat, ut in sex praedictis consilium & auxilium domino praestet, si beneficio vult dignus videri, & de fidelitate esse saluus. Dominus in his omnibus vicem fidei quoque reddere debet. Intuenti haec & vel leui adtentione examinanti statim patet, eam ex mente feudistae esse debere fidelitatis conditionem, ut non tantum inferat reclamationem animi & abstinendam ab omni eo, quod domino esse posset damnosum, sed quoque studium id quomodocumque auerendi; & quum studium auerendi alterius incommoda simul ponat abstinendam ab omni eo, quod eidem potest esse damnosum; ne definitio fiat abundans, vltimum characterem non sine ratione ex illa exulare iussimus. Denique ex vltimis cit. c. verbis sole meridiano clarius elucet, fidelitatem feudalem dominum inter & vasallum esse debere mutuam, id quod etiam non inficiantur I. F. interpretes, ut in definitione feudi eius mentionem iniicere soleant plane nullam, laudabili metu, ne definitio feudi non superflua contineat, quod obligationem domini ad fidelitatem ex fidelitate vasalli demon-*

D

mon-

monstrandam esse censent. STRVV. S. I. F. C. II. §. 5. Sed donec eam consecutionem luculentius quam, quidem huc vsque factum existimo, ostenderint, fidelitatem reciprocam definitioni feudi pro caractere inserendam putavi, satius esse persuasus, in dubio definitionem suppetitare abundantem, quam incompletam & mancā. Denique notandum, feudi vocabulum esse aequiuocum, ita vt sumatur mox pro obiecto seu re feudali ipsa I. F. 4. §. 3. mox pro contractu feudali II. F. 7. §. 1. mox pro iure domini II. F. 34. §. 1. mox pro iure vasalli I. F. 1. §. 2. II. F. 1. quae vltima adceptio rite explicata reliquis lucem feneratur. De ipso vocabuli feudi etymo vt & feudorum origine non conuenit inter Doctores, vt ideo nec dubitauerit NELLIVS *Disp. feud. 1. Thes. I.* ipsa sere vna cum genere humano existisse. Sed longa est haec fabula, quam iam alii & in primis systematum I. F. conditores perpouerunt tantum non omnes.

§. 21.

*Species feudi
eruantur.*

Si igitur feudum oriri debet ex dominio pleno; necesse est, vt ipsum ita inter duo diuidatur, vt penes vnum sit dominium directum, penes alterum dominium vtile sub lege mutuae fidelitatis. Et hoc contingere potest, vel vt, cui est dominium plenum, alteri per inuestituram tradat dominium vtile, vel vt, qui antea habuerat dominium plenum, illud in alterum transtulerit ea lege, vt ipsum rei alienatae dominium vtile mediante inuestitura rursus conferat. Si prius; feudum concipimus *datum*; si posterius; *oblatum*. Quum igitur ad constitutionem feudi, quodcunque illud sit, requiri oppidateat, vt ius quoddam in alterum transferatur, actus vero, per quem ius mihi competens in alterum transfero, dicatur alienatio; sequitur, vt constitutio feudi tam dati quam oblata concipi non detur sine alienatione.

Feu.

Feudum nimirum datum simplicem ponit alienationem ex parte domini dantis; feudum vero oblatum sine duplici alienatione intercedente constitui nequit; altera quidem fit ex parte vasalli offerentis, qui dominio rei suae sese abdicat, ut illam in feudum recipiat; altera vero ex parte domini, qui medianre inuestitura dominium vile in re oblata offerenti ex pacto reddit. Neque enim fieri potest, ut feudum oblatum constituatur per simplicem alienationem domini directi reservato sibi dominio vili. Nam quum regula sit iuris feudalis: *sive inuestitura feudum constitutum non videri, I. E. 2. §. in fin.* haec vero fit sollempnis rei feudalis vasallo a domino facta traditio; sequitur, ut etiam feudum oblatum a domino inuestiente fit tradendum vasallo. Qui vero fieri poterit, ut dominus tradat vasallo dominium vile, quod ipse non habet, sed potius adhuc penes vasallum residet? Huc collineat dispositio I. S. P. L. I. art. 34. *Si quis proprietatem suam domino ita donauerit, ut cum ea per dominum vice versa infeudetur, ista donatio non prodest, nisi eam donationem per annum & diem libere possiderit.* Quam tamen quoad liberam possessionem annuam & quod excurrit in ipsa Saxonia exoleuisse, quod per constitutum possessorium sine eiusmodi ambagibus facilius negotium potuerit expediri, acute conicit Excellentiss. WOLFF in *element. I. E. C. IV. §. 30. in fin.*

§. 22.

Omniem, quae usu venit, alienationem fieri titulo vel oneroso, vel lucratio, & ii perspectum habent, *Quae fit titulo vel oneroso, vel lucratio, & ii perspectum habent, tulo vel onero- qui nondum aere lauantur. Constitutionem igitur seu- roso vel lu- di vel lucratio, vel oneroso titulo nisi debere extra cratio.* omnem dubitationis alcam positum esse, quilibet vltro concedit.

D 2

Quare

Quare quum actus beneficium, qui in praesens absolvitur, dicatur *beneficium*; feudum titulo lucratiuo constitutum beneficium ponit. Et videntur feuda ob id ipsum beneficiorum olim nomine fuisse insignita, quod gratis conferri solerent bene meritis.

§. 23.

Qua fiat titulo oneroso, explicatur.

Omnis alienatio, quae fit titulo oneroso, supponit praecedentem conventionem de transferendo iure quodam in alium sub lege mutuae praestationis cum iure translato non necessario cohaerentis. Si quis igitur rem suam alteri titulo oneroso in feudum concedit; eam cum adcipiente *merit*, oportet, *conventionem, ut vicissim ab altero, praeter ius ad fidelitatem feudalem pro facta concessione aliquid adcipiat.*

Patet inde, quid regerendum sit, omnem feudi constitutionem, quum, qui feudum adcipit, vasallus ad fidelitatem obligetur, titulo fieri oneroso obliquentibus. Nimirum ad titulum onerosum requiritur, ut, qui aliquid ab altero adcepit, vicissim sese ad tale quid obligauerit, ad quod nondum ex notione iuris ab altero in se translato erat obstrictus. Quum vero notio ipsa feudi iam inuoluet obligationem vasalli ad fidelitatem praestandam: ab hac vasalli obligatione minus accurate argumentum necitur ad titulum onerosum in feudi constitutione necessario latentem, Immo etiam obiectioni huic occurri potest per instantiam; Emphyteuta scilicet quum obligetur ad praestandum annum canonem ius suum emphyteuticarium non aliter quam titulo oneroso acquirere posse dicendus esset contra §. 3. I. de locat. si rite se haberet argumentum aduersariorum. Quod igitur ad hoc respondent dissentientes, id ipsum sibi dictum putent.

§. 24.

Inde notio feudi emitt.

Qui feudum adcipit, vasallus ex notione feudi minime obligatus est ad solvendum domino inuestienti preti-

pretium in pecunia numerata. Fieri tamen potest, vt per conuentionem feudi constitutionem antecedentem ad id sese adstringat. Et tunc manifestum est, ipsum titulo emtionis venditionis oneroso feudum sibi comparasse. Sicque incidimus in notionem *feudi emti*, quo nomine venire solet feudum, per interuenientem contractum emtionis venditionis vasallo quaesitum.

Vtrum classi feudorum propriorum, an impropriorum numero hocce feudum sit adscribendum, non adeo expeditum est inter I. F. interpretes. Qui feudum illud improprium esse aiunt, diuersas iterum in partes abeunt. Mox enim cum GAILL. 2. *Obs. 159. n. 4.* in eo a natura reliquorum feudorum desistere putant, quod sit hereditarium: mox cum MYNSING. *Cent. 5. Obs. 73.* differentiam saltem in modo acquisitionis quaerunt, quem ex regula in feudis sibi persuasum habent esse debere gratuitum, nectirulo oneroso innixum; quod secus est in feudo emto. Sed vti posterior sententia regulae nondum, me arbitro, demonstratae innititur; ita prior apertissime principiis fundatur precariis, vt adeo non dubitem subscribere sententiae eorum, qui feudum emtum propriam habere feudorum naturam adferunt. De caetero noto notius est dubium, quod contra possibilitatem feudi emti moralem scilicet formari solet ex I. F. 27. vbi feudista: *feudum*, inquit, *non sub praetextu pecuniae, sed amore & honore domini acquirendum est.* Neque minus cognita esse debet responsio quod *cit. capit.* saltem improbet feudum datum in vicem legis commissoriae, *rubr. cit. c.*, quum alias feudum interueniente pecunia posse adquiri doceat praeter alios textus II. F. 12. Quare litem iam perorata nolumus iterum in iudicium deducere.

§. 25.

Feudum emtione potest comparari, & tum vocatur feudum emtum. Iam vero constat emtioni venditioni ^{Quod fieri potest sub pa-}

Et de retro uendendo. ditioni pactum adiici posse de retrouendendo. Nihil igitur impedit, quo minus idem adcedat emtioni uenditioni, per quam feudum aliquis sibi comparat; & tum *feudum dicitur emtum sub pacto de retrouendendo.*

Ut ideo feudum emtum sub pacto de retrouendendo in dato quodam casu admittamus, requiritur, ut ostendatur, tum uasallum feudum sibi comparasse praeuio titulo emtionis oneroso, tum huic emtioni per modum pacti adiecti adcessisse legem retrouenditionis. Ex quo patet, perperam pro feudo emto sub pacto de retrouendendo haberi, si quis e. g. fundum allodiale sub retrouenditionis lege emtum alteri dein in feudum dederit.

§. 26.

Cuius conditio ex dictis C. I. explicanda.

Eam ideam, quam aiunt, superioris esse conditionem, ut in inferiori sua contineatur, principii logicis vel leuiter tinctum fugit neminem. Quum igitur in capite antecedente pacti de retrouendendo naturam in genere pro ratione instituti satis superque euolutam stiterimus: eo ipso fontes nos reclusisse arbitramur, ex quibus, quid de pacto retrouenditionis, quatenus feudi emtioni adcessit, praedicandum sit, hauriri sine negotio potest.

Applicationem ipsam principiorum generalium de pacto retrouenditionis cap. I. euolutorum ostendere initio animus erat, & quod propositum fuit, praestitiffem, nisi partim temporis angustia prohiberet, partim hunc laborem a quocumque, qui antecedentia sibi familiaria reddidit, facillimo negotio proprio Marte institui possit, mihi persuasum haberem.

§. 27.

Discutitur quaestio:

Coronidis tamen loco non possum, quin ex principii supra stabilitis respondeam ad quaestionem in hac

hac materia maxime controuersam; nimirum *utrum pretium reuentione feudi emti, sub pacto de retrouendendo facta post mortem emtoris uasalli ad heredes allodialibus, an feudales saltem pertineat?* Nullus dubito respondere pro successoribus feudalibus. Quum enim non obstante pacto de retrouendendo dominium transferri demonstrauerim, quod, casu reuentionis existente, intercedente noua emtione uenditione per secutam traditionem in reemtoem transit: prono alueo sequitur, ut & emtor feudi sub lege retrovencionis dominium sibi adquisiuerit, adeoque illud in successores feudi capaces saltem transfulerit, qui ideo tamquam uenditores iusti casu retrovencionis existente non possunt non soli percipere pretium determinatum.

Tractarunt late hanc quaestionem HART. PISTOR. L. 3. *quaest.* 24. & CARPZ. 5. *respons.* 31. quorum hic nobiscum facit, ille uero in omnia alia abit. STRVVIUS in S. I. F. C. IV. *aph.* 15. n. 4. eamdem mouet quaestionem, sed in ipsa decisione titubat, ut illud homerianum in ipsum quadrare non immerito dixeris:

Τὸ εἶδόν δ' οὐκ ἂν γνοίης, ποτέροισι μετόν
 ἢ μετὰ τρώεσσι ὀμίλει, ἢ μετ' Ἀχαιοῖς.

Argumentum H. Pistor. potissimum in eo consistit, ut retrovencionem contractum emtionis uenditionis penitus resolui, totamque rem ad pristinum statum reuerti autmet, cui abunde, opinor, satisfactum §. 16. Urget praeterea praesumptam uoluntatem adquirentis, cui consentaneam dicit suam adsertionem. Illum enim, cum retrouendere permiserit, ad hunc quoque casum, quo redempto feudo pretium esset recuperaturus, respexisse putat, ut pretium tamquam res hereditaria ad allodiales heredes perueniat. Sed quum per pactum de retrouendendo ad reemtionem

tionem minime obligetur primus venditor, quod §. 5. a-
 pertissime docet; vix est, vt primum adquirentem ad hunc
 respexisse casum, multo minus voluisse, vt pretium ad al-
 lodiales heredes perueniat, praesumere queas. Denique
 fundamentum suae sententiae inde petit, quod ex vendi-
 tione sub pacto de retrouendendo heredes defuncti fue-
 rint obligati ad reuendendum pro soluto pretio; vt ideo
 haec obligatio cum adnexo ei commodum iam tum mortis
 tempore in defuncti bonis fuerit, adeoque ad heredes al-
 lodiales transferit. Sed supponit, quod probandum erat,
 hanc obligationem cum adnexo commodum respicere here-
 des allodiales, quum potius heredibus inhaerere feudali-
 bus sit adserendum. Quamuis igitur cum CARPZO-
 VIO contrariam sententiam amplectar, secundum quam
 litem quoque dederunt consulti *Scabini Lipsenses vid.*
 CARPZOV, *l. c. n. 25*; non tamen cum ipso praesidium pe-
 tendum duxerim ex textu *l. l. S. C. 55*: Wird einem Mann
 ein Gut geliehen, auff seine Treue, so daß er es wieder
 aufflehet (wen es sein Herr wieder lösen möchte zu bescheide-
 ner Zeit) das Gut mag der Herr lösen wenn er will, stir-
 bet auch der Mann ohne lehns-Erben, das Gut wird
 dem Herren ledig, und der Herr ist nicht pflichtig zu geben
 jenes Erben die löschung des Guts. Ex eo enim, quod ob
 deficientes successores feudales feudum ipso iure reuertatur
 ad dominum, neque ille hoc casu obstrictus sit heredi-
 bus allodialibus ad soluendum pretium, quod vltima verba
 innuunt, minus secure mihi videtur argumentum duci ob
 maximam visionum diuersitatem ad casum reuolutio-
 nis, quo non ipso iure, sed emtionem
 venditione consequitur feu-
 dum dominus.

T A N T V M.

CLARISSIMO
CANDIDATO

S. D.

IUSTVS HENNINGIVS BOEHMER.

Si dissertationes non ex mole sua & quantitate, sed ex qualitate aestimandae sunt, uti omnino aestimari debent; tua merito dissertatio, Clarissime Candidate, eam etiam meretur laudem, ut, licet perexigua esse videatur, gravitate argumentorum tamen & ubertate variarum doctrinarum adeo sese omnibus commendet, qui optime norunt, quantum distent aera lupinis. Quae in medium protulisti ex legitimis principiis iusto ordine & methodo connexisti, atque ostendisti, te cogitationum Tuarum optimum moderatorem, atque meditationum, quas concepisti, idoneum interpretem esse, ut vel ex hoc specimine liqueat, Te ad graviora digerenda & recte disponenda aptum natumque esse. Atque hoc ipsum etiam ordo noster in ipsis examinibus, quibus pro honoribus academicis capessendis

sendis Te subiecisti, oberrime deprebendit, ut nullus dubitauerit, quin Te etiam ad publicum certamen, nullius adiutum praesidio, admitteret, postquam facile ex promptissimis responsionibus ad nodosas quaestiones Tibi propositas obseruauit, Te non indigere alieno auxilio, sed viribus propriis niti. Cum itaque mihi semper & omni tempore in deliciis talia ingenia candidatorum fuerunt, quale Tu prae ceteris possides, & publice etiam prae aliis ostendes; non tantum conatibus Tuis egregiis adplaudo, iisque BONVM FACTVM adscribo, sed praeterea TIBI quaeuis fausta, optimosque Tuorum studiorum successus apprecor.

Vale dab. e mus. d. XXVII. April.

M. DCC. XLVII.



Halle, Diss., 17 46/47


ULB Halle 3
002 729 377



SB







27
7. April
1747

DE
FEVDO EMTO
SVB PACTO DE RETRO-
VENDENDO

INDVLTV
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO
SVMMIS IN
VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

AD DIEM APRIL. A. R. S. M DCC XXXVII.

DISSERET
OTTO DAVID HENRICVS BECMANN
DEVITIO-MEGAPOLITANVS.

HALAE MAGDEBYRGICAE
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

1747